

www.e-rara.ch

Theatrum concionum sacr. topicum

Theatri concionum sacr. topici theoretico-practici pars VIII - de ecclesia Christiana una, sancta & catholica : de communione sanctorum, & ecclesiae notis atque fatis : de externa ecclesiae administratione, ministerii functione, & disciplina ecclesiastica ... : cum adiectis indicibus necessariis, ...

Anhorn von Hartwiss, Bartholomaeus

Basileae, ann. Chr. 1691

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-80003>

Concio I

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



Libri I.

DE COGNOSCENDO DEO.

Cap. XXXVI. & ultimum.

*De Consummatione seculi, & vita aeterna
tanquam Judicii ultimi
consequentibus.*

CONCIO I.

De Consummatione Seculi.

2. Petr. c. 3. v. 10-13.

Coeli cum stridore præteribunt, elementa verò æstuantia solventur, terraque & quæ in ea sunt opera exurentur. Quum igitur hæc omnia solvantur, quales oportet esse vos in sanctis conversationibus, & pietatis officiis, expectantes. &c.

Regius Propheta David Psal. 119. v. 96. dicit, *omni perfectioni finem esse, se videre, vel se כל-תכלה* omnis consummationis se videre finem. Per omnem perfectionem siue consummationem intelligit res terrenas & humanas omnes, quæ vanitas sunt vanitatum, & nihil nisi vanitas. Eccl. 1. 2. Ego verò nihil hîc dicam de excelsis Mundi, nihil de Imperiis, Regnis, Principatibus, dignitatibus, honoribus, divitiis, facultatibus, voluptatibus, quæ hominem in hac vita exhilarare possunt: Sed dicam de ipso Mundo, nobilissima Dei æterni creatura, quâ post Deum, Angelum & Hominem, nihil pulchrius est, nihil mirabilius, quæ amœnissima & capacissima sedes atque domicilium est Hominum & animalium: piscium, quorum mare & aqua, est habitaculum, avium.

Bbbb bbbb 2 que,

que in aëre volitant. *Mundus hic atate indies crescit, adeoque annis fenescit, & adultior hodie, quàm fuit heri, ad finem suum, sicut homo ad mortem, properat. Quemadmodum igitur Regnorum, Imperiorum, Principatum, Rerumpublicarum, quum periodum suam attigerunt, felicitatis item, prosperitatis & calamitatis rerum humanarum quotidie finem videmus, & ipsorum quoque hominum, quorum alii in infantia, alii in pueritia, alii in ætate virili, alii in decrepita senectute moriuntur: ita ipse quoque mundi, quando ad maturitatem suam pervenerit, hoc est, illud durationis suæ spatium, quod Divina illi providentia præstituit, attigerit, finem videbimus, quem ipse Christus Servator noster Consummationem seculi, Matth. 28. 20. nominat, cui post gloriosissimum suum ad iudicium adventum, post administratum iudicium, post abjectos à facie sua impios in æternum supplicium, & post receptos secum in Regnum Patris sui, pios, quoque, finem imponet, quem Petrus in prælecto textu ita describit, ut doceat*

I. Mundum hunc igne periturum, omniaque elementa, terram item & opera ejus exustum iri.

II. Fideles informat,

1. Quales se, cum hac futura præsciant, gerere debeant? v. II.

2. Qua in hac consummatione seculi, & conflagratione Mundi, ipsorum consolatio sit futura? videlicet, novi Cæli, & nova terra, in quibus, secundum promissum, justitia sit habitatura.

1. Mundus hic aspectabilis in consummatione seculi igne peribit, omniaque elementa, terra item & opera ejus exurentur. v. 10. Cæli cum fridore præteribunt, elementa verò æstuantia solventur, terraque & qua in ea sunt opera exurentur: & v. 12. Cæli conflagrantes solventur, & elementa æstuantia liquefcent. Qualis hic ignis sit futurus, quo cæli conflagrabit, & terra,

terra, ejusque opera exurentur? quæri solet. Sunt, qui illum elementarem fore afferunt, qualis, scilicet elementaris, etiam Diluvii aqua fuit: Alii eum ex nova creatione: alii ex radiis solis in mediam aëris plagam, veluti in speculum cavum & chalybeum coeuntibus, eliciunt, quia Petrus dicat, ipsa elementa dissolvenda & consumenda esse, inter quæ ipse etiam ignis est. Alii per hunc ignem rerum exurendarum & liquefaciendarum ignitionem, qualis in ferro candente est, intelligunt: sed hæc à curiosis, non tam evidentè demonstrantur, quàm acriter disputantur. Nos putamus, qualis hic ignis sit futurus, ad arcana Dei pertinere, qui ipse ignis est consumens, Deut. 32. v. 22. & ignem per omnipotentiam suam, ex occultis suis thesauris, pro lubitu suo, proferre potest, Vide Fabricii Diem Dom. p.m. 838. seq.

Quomodo Cælum, terra & omnia elementa, per hunc ignem à Deo excitatum, interitura sint, in ipsa Doctrina de Consummatione Seculi, de qua textus hic agit, fusiùs explicabimus.

II. Apostolus de interitu Cæli & terræ loquens, fideles informat & consolatur.

a. Informat, quales se, cùm hæc futura præsentiant, gerere debeant? v. 11, 12. nempe, in sancta conversatione & pietatis officiis expectare, & ad adventum diei Domini properare, in quo cæli conflagrantes solventur &c.

b. Consolatur promissione novi cæli, & terræ novæ, in quibus justitia sit habitatura. De quibus in Doctrinæ de Consummatione seculi usibus plura dicemus.

Sedem suam in hoc textu habet

Δ. De Consummatione seculi, post judicium ultimum,

De qua quaritur:

An aliquando perituri sint Cæli & terra, & quomodo?

Ad quam quæstionem diversimodè respondetur.

Nos I. *Statum questionis formabimus.*

II. *Diversitatem sententiarum proponemus.*

III. *Eminentiam nostram sive decisionem subiungemus.*

A. *Status questionis est, An Cæli aspectabiles, & terra hæc quam incolimus, cum omnibus in ea corporibus naturalibus & operibus interitui, aut mutationi alicui sint obnoxia futura? Vel: An etiam post resurrectionem mortuorum, in eodem stata, in quo nunc sunt, sint permansura?*

R. I. *Posterius negatur.* Tempore Augustini, fuerunt Hæretici quidam, qui, secundum placita Philosophorum quorundam Gentilium, hoc asseverârunt, quos Augustinus in libro suo de Hæresibus graviter perstrinxit, Hæresi 67. ad Quod vult Deum.

2. *Prius non puto quemquam Christianorum negaturum; Scriptura enim Sacra manifestè de Cæli præteritione, de elementorum astuantium solutione, & terra operumq; ejus exustione loquitur.*

3. *Extra controversiam est,*

a. *Per Cælum, de cuius sive interitu, sive mutatione & renovatione sermo est, non intelligi Cælum supremum, Electorum augustale, & Beatorum regiam sedem: in quo cælo dolor nunquam sentitur, nec gemitus auditur, tristitia nunquam videtur, sed æternum gaudium possidetur.*

b. *Ab interitu isto quoq; infernum eximi reproborum pœnis paratum, in quo Dæmones commorantur, damnatorum animæ captivæ detinentur, & omnes scelerati atque ἀπειθαρχῆσαι sempiternis cruciatibus affliguntur. 2. Thess. I. v. 6, 7.*

c. *Per Cælos cum stridore præterituros, intelligi Cæli aspectabilis Orbes Cælestes, in quibus Sol, Luna, Stella, & reliqua sidera à Deo creata, ordinarium suum cursum & motum habent. Doctores quidem Scholastici asseruerunt, flammam, quâ mundus sit conflagraturus, ad spatium, quod continet elementa, ascensuram, ulterius non processuram, altiùs ascensuram, quàm aqua diluvii, non tamen usque ad sidera. Domin. à Soto & Bonavent. Sed Augustinus I. 20. de C. D. c. 24. ait, ubi dicitur: Opera manuum tuarum sumi Cæli, ipsi peribunt: quàm nullum eorum ab opere Dei, tam nullum eorum à perditione secernitur.*

d. Per

d. Per terram intelligi, *domicilium hoc terrestre*, in quo bestiae, homines, & aves commorantur, in quo montes, colles & convallia sunt, maria item, flumina & fontes, urbes, oppida & pagi, sylvæ, arbores & plantæ &c. *Magna Cæli & terra firmitas est, sed cæli tandem cum stridore præteribunt, elementa æstuantia solventur, terræq; & quæ in ea sunt opera exurentur.*

Quæritur autem:

Quomodo? *An Mundus hic aspectabilis periturus sit secundum suam substantiam, per sui plenariam corruptionem & annihilationem? An verò tantum secundum qualitates per alterationem perfectivam, & singularum partium casualium, sive renovationem:*

B. In diversa abeunt Theologorum sententia.

1. Statuunt alii: *Cælum, terram & omnia corpora atq; opera in illis contenta, exceptis creaturis intellectualibus, per corruptionem & annihilationem, omnimodè interitura,*

2. Concedunt quidem alii, *corpora mixta, bruta animantia, urbes, arces, oppida, arbores, plantas & alia terræ opera penitus annihilanda esse: ipsam verò terram & corpora cælestia, Solem & Lunam, per casualium sive renovationem restauranda.*

I. Qui primam sententiam tuentur, *abolitionem totius Mundi, Cælorum aspectabilium & terræ substantialem, & in nihilum reductionem, in sententiæ suæ confirmationem testimonia producant & rationes.*

℞. Testimonia V. & N. T. Sanctorumque Ecclesie præcæ Patrum.

α. Testimonia V. Testamenti.

a. Gen. 8. 22. *Quamdiu erit terra, sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, diesq; & nox non cessabunt.* Dicunt, Deum his verbis ostendere voluisse, *certum terræ durationi tempus esse destinatum, & temporis illius vicissitudinibus: Venturum verò tempus, quo ipsa terra, cum isthac vicissitudine sua, sit desitura. Cessantibus enim diebus terræ, ipsam terram desituram, & secuturam æternitatem sine tempore.*

b. Deut. II. 21. *Promittit Deus Israëlitis multa beneficia, si in viis suis ambulaverint, ea duratura multis illis diebus cæli super terram. Ex quo colligitur, fore tempus, quo cessaturi sint dies Solis super terram.*

c. Jobi c. 14. v. 12. *Vir cum accubuit, non resurget, usq; dum*

non erunt Cœli. Cœli ergò non durabunt perpetuò, sed atiquando non erunt, hoc est, interibunt, non tantùm respectu qualitatatum, sed etiam respectu ipsius substantiæ.

d. Psalm. 102. *Terra & Cœli perituri sunt, tu autem permanes, ista ut vestimentum veterascunt, ut indumentum mutabis ea & mutantur, tu verò idem es, & anni tui non desinent.* Manifesta oppositio inter substantialem cœli interitum, & perpetuam Dei aternitatem. Vox enim Hebræa omnimodam rei abolitionem notat, quæ generationi opponitur: Generatio autem est substantiæ productio: & perditio, seu interitus, ejusdem destructio.

e. Esa. 34. 4. *Contabescet totus exercitus cœlorum, convolventurq, tanquam liber Cœli, & totus exercitus eorum decidet, ut decidit folium à vite, & ut decidit fructus è sicu.* Folium, quando ex arbore decidit, perit, & non tantùm secundùm qualitatem, sed etiam secundùm substantiam corrumpitur.

f. Esa. 51. 6. *Cœli sicut fumus dissolventur, vel deficient, & terra sicut vestimentum putrescet, &c. Salus autem mea in sempiternum erit, & justitia mea non deficiet.* Cœli expressè dicuntur deficere, hoc est, aliquando non esse, oppositè ad salutem & justitiam Dei, quæ nunquam deficit, sed semper in perfecto suo esse, durat.

g. Esa. 65. 17. *Ecce, ego creo cœlos, & terram novam, & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor.* Hic locus ita explicatur, non esse hic sermonem de innovatione cœli pristini, sed essentialem ejus notari interitum: Prophetam nihil dicere de cœlo renovato, sed loqui de cœlo planè novo. Deum non dicere se Cœlos immutaturum, aut renovaturum, sed novos creaturum, ita, ut priorum nulla sit futura recordatio. Alteratum iri corpora nostra, quæ novas acceptura sint qualitates, non autem propterea dici, Deum novos homines creaturum, priores perituros & non ampliùs futuros: *mutationem qualitatatum non inferre interitum totius.* Confer etiam Deut. 32. 22. & Ps. 72. 7.

ß. Testimonia Novi Testamenti. Horum palmarium est

aa. Textus prælectus 2. Petr. 3. v. 10. seq. Hunc, sensum allegoricum non admittere dicunt, sicut locus ille Ezech. 32. 7. sed propriè intelligendum, & singula ejus verba propria atq, emphatica esse, quæ substantialem totius Mundi, Cœlorum, Elementorum, terra & operum illius abolitionem evincant. Dicere enim Apostolum

a. Cœlos, hoc est, orbis cœlestes, in quibus sunt Sol, Luna, planeta & reliqua sidera, *συνδιδω*, cum stridore, cum impetu sibilantis procellæ, præterituros.

b. Ele-

b. *Elementa astuantia solutum iri.* Hoc nihil magis proprium posse dici: *Caelos & elementa*, quibus aër accensetur, ab invicem distingui, & de utrisque talia prædicari, quæ totalem abolitionem importent.

c. *Terram & opera ejus exustum iri.* Etiam hac assertione, nihil magis proprium dici posse.

d. *Caelos novos & terram novam expectandam*, quæ transitivis illis opponantur: Sicque priora, in quibus *lachryma, luctus, clamor, dolor & mors* fuerunt, *abitura*: eum autem qui throno insidet, omnia nova facturum, hoc est, loco priorum *abeuntium, gaudium perpetuum, & vitam aeternam electis suis daturum.* Apoc. 21. 4. 5.

bb. Alterum testimonium & argumentum petunt ex verbis Christi, Luc. 21. v. 33. *Cælum & terra παρελθόντων præteribunt, verba autem mea nequaquam præteribunt.* In his verbis Categoricè, & cum emphasi, *cælum & terram peritura* dici, seu *præteritura per totalem interitum*, per quem, *Cælum, terra, & Verbum Dei sibi invicem opponuntur.*

cc. Matth. 28. 20. Christum mentionem facere, ajunt, *συντελείας τῆς αἰῶνος*, *consummationis, non renovationis seculi.*

dd. Apoc. 10. 6. *Furâsse Angelum, Tempus non fore amplius: ut Ap. 21. 1. primum cælum & primam terram abiisse, & mare non amplius fuisse.* Quibus loquendi phrasibus manifestè doceatur, *illud, in quo nō esse Cæli, terræ & maris consistit, in fine mundi abolitum iri.* Tò esse verò *Cœli, terræ & maris, non consistere in illorum accidentibus, sed in substantia, quia longè aliud est, non amplius esse, & aliud, non amplius tale esse: absolute autem pronuntiare Scripturam, Cælum, terram & mare non amplius futurum.*

ee. Apoc. 20. 11. Testari Johannem, vidisse à conspectu illius, qui throno insedit, *fugere terram & cælum, eorumq; locum non esse inventum.* Unde concludunt: *Quicquid à conspectu Dei fugiat, ut locus in quo existat, non amplius inveniat, illud non ratione accedentium & qualificatum tantùm, sed ratione ipsius substantia, interiturum.*

γ. Testimonia primitiva Ecclesie Patrum. Ex innumeris, pauca adducam. Clemens Rom. l. 2. *Recogn. Apostolum Petrum duos docentem Caelos inducit, unum superius, invisibile & perpetuum, quod Spiritus Beati incolunt; alterum inferius, visibile, variis distinctum sideribus, corruptibile, & in consummatione seculi dissolvendum, ac prorsus abolendum, ut ejus corpulentia amoto velamine, appareat cælum illud excelsum ipsi, qui ejus aspectu digni sunt,* Minutius Felix in Octav. *Quis sapientum dubitat, quis ignorat, cælum*

cum omnibus, quæ cælo continentur, ita ut cœpisset, desinere? Fontium dulcè aquâ, marisq; nutrimum in vim ignis abiturum. Chrysoft. in Homil. ad Neophyt. Quid sibi vult, stella cadent de cælo, sicut folia de ficu? sicut enim vites cum uvarum fructibus pręgravantur, foliorum exposunt auxilium necessarium, ut protegantur; cum autem deposuerint fructum, necesse est, ut folijs nudentur. Sic se habet hoc seculum, quamdiu habuerit in se humanum genus, tenebit & cœlum stellas, sicut & vitis folia, nam nocte pereunte, sine dubio stellarum utilitas cum nocte deficiet. Arnobius Jun. de Deo Trino & Uno: Sicut ex nihilo factus est mundus, ita ad nihilum redigendus in fine seculi, quia scriptum est, ipsi peribunt, &c.

2. Rationes, quæ adducuntur pro totali mundi abolitione, & substantiali illius destructione, sunt sequentes.

1. Institutam esse hanc naturam & mundum à Deo conditum, ut domicilium esset hominis viatoris ad Patriam tendentis, adeoq; via ad Deum tanquam in speculo contemplandum. Ubi ergo omnis homo electus in fine seculi ad Patriam appulerit, & viator esse desierit, nullum amplius hujus seculi usum futurum, ac proinde interituum, unde à Christo, Matth. 28. v. 20. συντέλεια τῆ αἰῶν & dicitur, ubi per αἰῶν & non tantum status mundi, sed ipsa etiam illius substantia: per συντέλειαν autem, non tantum mutatio, sed plenaria etiam consummatio intelligitur: Si enim nuda qualitatum immutatio intelligeretur, seculum mutatum diceretur, non consummatum.

2. Idem ostendit rerum omnium ordo ac series. Cum enim solius Dei sit æternitas principio & fine carens: Spirituum creatorum ævum, principium habens, fine carens: rerum physicarum tempus, & principio & fine constans, non magis istæ perennitatis, quam illi corruptionis aut interitus, capaces videntur, quapropter Angelus, Apoc. 10. v. 6, 7. jurat, non fore amplius tempus in consummatione mysterij Dei. Tempori ergo succedet æternitas, quæ omnem ulterjoris temporis successionem excludit.

3. Soli Angeli & homines, creatura rationales, ad imaginem Dei, adeoq; ad incorruptibilitatem, sunt condita. Hinc etiam homines corpora habeant elementaria, quæ, propter peccatum, per mortem destruuntur, ut tamen salvandi, per misericordiam Dei, in cælo, damnandi per justitiam ejus, in inferno perpetuè vivant, resuscitabuntur. Creaturæ reliquæ omnes corruptibiles sunt creatæ, animatæ & inanimatæ, hinc nulla, solo excepto homine, in die novissimo resurget, sed omnes earum.

earum species & individua, in consummatione seculi, abolebuntur. Si enim nulla animalia, præter hominem rationalem, incorruptibilia sunt, quando minùs creaturæ inanimæ, Cælum, sol, luna, stellæ, terria & mare, incorruptibilia erunt, cum vel vilissima creatura animata, præstantissimis inanimatis, in ordine Entium, non sine ratione, nobilior esse, à Philosophis statuatur.

4. Cælum conditum est eo fine, ut motu & influentijs suis in hæc inferiora agat, & ad creatoris sui agnitionem homini inserviat. Quia igitur post seculi consummationem, generationum & corruptionum vicissitudines in his sublunarijs cessabunt, cessabunt utique etiam influentia cælorum in hæc inferiora. Aut si sol, luna, sidera, terra, mare, & vastissima aëris regio, post consummationem seculi, sunt restituenda, cui fini hoc fiet? Si nulli amplius inferioris orbis hujus sunt incolæ, sed omnes jam aut Cœli cives, aut titiones infernales? Num mundus erit vacuus? num terra sine bestijs, plantis, arboribus? num aquæ sine piscibus? num aër sine avibus? aut, num alii novi Mundi creabuntur incolæ?

Hæc præcipua sunt argumenta illorum, qui Mundum nostr' sciam in consummatione seculi periturum existimant, quæ præponderare videntur, cum primis etiam, quia Scriptura duorum tantum locorum mentionem facit, in quibus homines, vel cum Deo sint futuri in cœlesti gloria, vel cum Diabolo in infernali cruciату, cœli nempe & inferni, Matth. 25, 34, 41, 46. nullam terræ. Sed pergitur etiam

II. Ad sententiam alteram, quæ statuit: Mundum quidem totum, Cælum aspeçabile, & terram cum corporibus elementaribus, igne conflaturum, sed, quod modum hujus conflagrationis attinet, iterum in diversa abeunt, nam

a. Alii dicunt, Cælum & terram conflagratura quidem, & in cineres atque favillas resolutum iri, sed ex istis cineribus atq; favillis, Deum novum Cælum & novam terram iterum creaturum, in quibus justitia sit habitatura.

b. Alii putant, Cœli & terræ substantiam in ista conflagratione non penitus perituram, sed ejus tantum qualitates; quæ in isto igne renovandæ sint, sicut ferrum rubigine obductum, rubigine in igne exusta, purificatur: vel interituram tantum creaturarum vanitatem, & corruptionis servitutem, sicque alteratione perfectivâ, à corruptione vindicatam, & in statum meliorem translatam, aeternum ad creatoris sui gloriam, duraturam.

α. *Priores his argumentis utuntur,*

aa. *Hominem $\mu\epsilon\gamma\epsilon\theta\omicron\sigma\mu\omicron\nu$ morientem, interire essentialiter, totum enim compositum dissolvi, & corpus recedente animâ in cineres resolvi: non tamen interire totaliter, sed perseverare animam immortalē, quæ corpori, ex terræ pulvere resuscitando, suo tempore iterum uniatur. Atque ita etiam magam Cæli, terræq; mā hnam, tanquam $\mu\alpha\gamma\alpha\theta\omicron\sigma\mu\omicron\nu$, essentialiter per conflagrationem interire, non tamen totaliter, quia virtus Dei creatrix & conservatrix, quæ sit quasi anima mundi assistens, ex cineribus mundi, per incendium absumpti, novum cælum ac novam terram sit creaturus, in quibus iustitia, atque ipse Deus omnis iustitiæ author sit habiturus. 2. Pet. 3. 12.*

bb. *Promissionem Dei allegant ex Esaj 65. v. 17. Ecce creaturus sum novos Cælos, & novam terram, neque commemorabuntur hæc priora, &c. Promissioni huic respondere dicunt verba Petri in textu nostro vers. 13. Cælos novos & terram novam expectamus secundum promissum, &c.*

β. *Posteriores opinionem suam confirmant,*

a. *Ex Scriptura Sacra.*

Matth. 24. 23. *Cælorum virtutes dici concutiendas, non abolendas aut evertendas.*

Act. 3. 21. *Christum oportuisse cælo capi, usq; ad diem restitutionis omnium. Restitutum autem iri omnia per illam cæli & terræ ἀπόλωσιν & innovationem, non totalem substantiæ abolitionem.*

Rom. 8. v. 19-22. *Mundus conditus, quasi ex ferto capite observans expectat revelationem filiorum Dei: nam vanitati mundus conditus subiectus est, non suâ sponte, sed propter eum, qui subiecit eum isti, sub spe, quod & ipse vindicabitur ex servitute interitus in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim conditum mundum unâ suspirare, & unâ parturire ad hoc usq; tempus. Dicunt mundum aspirantem ad suam liberationem, comparari mulieri parturienti, & quidem in societate, veluti cum filijs Dei, quod verba αὐτῶν λέγειν, & συνωδῖν ἐν in sinuunt. Mulieris autem parturientis desiderium non esse sui extinctionem & interitum, sed liberationem ab onere partus, & transitum à labore ad requiem, à tristitia ad lætitiā.*

b. *Rationibus.*

aa. *Parum credibile videri, tot nobilissimâ corpora à Deo creata, Cælum stelliferum, solem, lunam, amplissimum terrarum orbem,*

orbem, & vastissimum mare, quæ per suam bonitatem, sapientiam & potentiam condidit, & per tot mille annos conservavit, uno momento ab eodem iterum destructum & abolitum iri.

bb. Cùm Cæli novi & terra nova Scriptura S. mentionem faciat, præstare dicere, vetera esse innovanda, & in gloriosorem statum, quàm ante peccatum status hominis fuit, redigenda, quàm nova creanda.

cc. Sicut primus mundus per diluuium perierit, non annihilatus fuerit, ita eundem mundum in fine seculi periturum per ignem, ut renovetur, non iri annihilatum. 2. Petr. 3 v. 6, 7.

c. Suffragijs Patrum. Cyrillus Hierosolym. Cat. 15. Creatus hic mundus renovabitur, ut non maneat admiranda hæc domus plena iniquitate; pertransibit hic mundus, ut pulchrior restituitur. Non tristemur tanquam solè morientes, cùm & astra moriantur, fortasseq; rursus excitabuntur. Complicabit Dominus cælos non, ut perdat, sed ut rursus meliores illos excitet. Hieronym. in Cap. 51. Inf. Perditio cælorum non interitum sonat, sed mutationem in melius. Et in Cap. 65. Esaj. Ex loco Psalm. 102. v. 27. Cæli sicut vestimentum veterascent, perspicuè demonstratur, perditionem & interitum, non abolitionem in nihilum, sed commutationem sonare in melius. Neque enim illud quod alio in loco scriptum est, Luna fulgebit ut Sol, & Sol septuplum lumen accipiet, interitum significat pristinatorum, sed commutationem in melius: quod ut possit intelligi, nostra conditionis ponamus exempla. Infans, cùm in puerum creverit, & puer in juvenem, & juvenis in virum, & vir in senem, nequaquam per singulas ætates perit: idem enim est, qui prius fuit, sed paulatim immutatur, & pristina ætati periisse dicitur. Et paulo pòst subjungit: non alios cælos & aliam terram videbimus, sed veteres & antiquos in melius commutatos. Proclus apud Epiphanium hæres. 64. Non placet, ut illud dicatur, quòd omnia funditùs pereant, & aër, & terra & cælum non futura sint. Exardescet quidem ad purgationem ac renovationem, descensione factâ totus mundus igne dilutus, non tamen ad perfectum interitum ac corruptionem deveniet. Si enim melius est non esse, quàm esse mundum, cur Deus, qui mundum fecit, quod prius est, elegit? Frustrâ laboravit? Igitur ad hoc ut sit, & maneat, creaturam construxit. Manet creatura in melius ac decentius renovata, exultans & gaudens resurrectione ob filios Dei, &c. Confimilia ex Augustino, Irenæo, Gregorio M., Damasceno & alijs produci possunt.

III. Deciso & ènteris nostra, in hoc sententiarum divorcio, utrum Mundus in consummatione seculi nati s'ciat, an nati n'nter sit p'nter n'nter? adeoque utrum plane abolendus, an verò per ignem renovandus?

CCCCCC 5

hæc

hæc est: *Questionem hanc problematicam esse, de qua salvâ fide & Christianâ charitate liceat vel ἐρέξεν, vel etiam, ut Coleberrimus Spanhemius Dub. 132. Part. III. pag. m. 705. ait, ἀνπεινωμένον: adeoque hic valere regulam Bernhardi, quod nulli datum est experiri, nullus conetur effari. Futuræ experientiæ eventui res est committenda, cum, quid hîc futurum sit, in solius Dei Patris cœlestis arbitrio & potestate sit constitutum. Pieque dixit Augustinus: Melius esse dubitare de occultis, quàm litigare de incertis. Sufficiat nobis in Christo Servatore nostro, in consummatione seculi, in Regnum Patris sui cœlestis nobis ab aeterno paratum recipi: sive mundus totaliter aboleatur, sive per ignem renoveretur. Sequentia interim ex Scriptura Sacra, certa esse judicamus.*

I. *Cœlum & terram præteritura: Verba autem Christi Servatoris nostri, non præteritura, Luc. 21. 33.*

2. *Creaturas intellectuales & rationales, Angelicas, & humanas, superstitas fore in omnem aternitatem: domiciliumque illis certum & æternum, sive pijs, sive impijs, esse assignatum, illis in Regno Patris cœlestis, his in societate Diaboli & Angelorum ejus. Matt. 25. v. 34, 41, 46.*

3. *Creaturas suo quodam modo, exserto capite expectare revelationem filiorum Dei, & desiderare, suspirare atque unâ parturire, ut à vanitate hujus seculi, cui non suâ sponte subjctæ sunt, liberentur & vindicentur ex servitute interitûs, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Rom. 8. 19-22.*

Locus hic Paulinus, ab utrisque, *diversum in problematica proposita quæstione sentientibus, pro suâ opinione tuendâ, allegari solet. Pondera, quæ utraque pars pro se, ex eo petere solet, præteribimus, quia quæstio problematica est, in qua sine dispendio salutis, modò liberrimo Dei arbitrio nihil præjudicetur, utri libertatis suffragari licet: Quia tamen hic, inter illa Pauli loca refertur, quæ Petrus in epistolis Paulinis συρόντα esse dixit, 2. Petr. 3. v. 16. rogamus attentum Lectorem, ne prolixiori ejus enucleationi animum præbere, eum pigeat, in quo consideranda sunt*

I. *Subjectum.* II. *Prædicatum.*

A. *Subjectum est κτίσις, Creatura vers. 19. & quidem πῶτα κτίσις, omnis creatura v. 22. de qua voce, non videtur anxie disputandum esse. Intelligunt quidem hoc vocabulum*

a. *Nennulli de Angelis, velut Origenes, Theodoretus, Nazianzenus,*

zianzenus. Sed nec de malis, nec de bonis Angelis intelligi potest.

Non de malis, qui nunquam gemunt, sed fremunt, nec liberationem vel expectant, vel consequuntur. Non de bonis, qui nec vanitati subiecti sunt, nec liberatione opus habent.

β. Alij de hominibus. Sed nec impijs, nec pijs quadrat.

α Non Impijs: quorum expectatio fallax & falsa foret, ijs demque pro liberatione à vanitate & servitute corruptionis obtinenda, nunquam solliciti ingemiscunt.

β. Non pijs, quia de horum expectatione demum v. 23. agitur.

Sed scopus est Apostoli docere, quid extra hominem sit, quod cum ipso pariat, tota nempe Mundi machina, cum omnibus suis partibus & membris, sicque tota universitas creatura corporalis, vitæ, sensu & ratione destitutæ; Cælum, Terra, Elementa & anima elementata, quæ v. 19. 23. hominibus & quidem filius Dei, Spiritum adoptionis habentibus, opposita, in hunc solum finem sunt creata, ut terrestri hominis vitæ inservirent.

Hanc Mundi machinam, cum omnibus in illa contentis, vitæ, sensu & ratione destitutis creaturis, Apostolus dicit,

I. Vanitati esse subiectam.

aa. Quid verò est vanitas? Id, quod aliquam rei speciem, nihil autem firmi, veri, solidi ac boni habet: sive, quod nec confert plenitudinem continenti, nec fulcimentum innitenti, nec fructum laboranti.

bb. Quæ causa, quod Creatura vanitati est subiecta? Non sua sponte subiecta est, sed per eum, qui subiecit. vers. 10.

α. Causa principalis est Deus iudex justus: hinc omnis ista creaturæ vanitas, justum est Dei iudicium, qui eandem suo tempore iterum est aboliturus.

β. Causa externa non est in creatura ipsa, quæ non sua sponte huic se subiecit: nec Deus eam vanitati subiectam primitus creavit, sed est in homine in peccatum lapsa, à cuius peccato, Creatura vanitas suam trahit originem, quia vanitatem & maledictionem, velut diluvium quoddam in totum iniecit mundum.

γ. Tò α'ε'νω illius, non pro ejus voluntate, sed pro inclinatione naturali accipitur, secundum quod, ad sui conservationem & perfectionem, naturâ fertur.

Quæritur.

Annon iniquum videri possit, creaturam nullius peccati ream, totum mundum, & animalia innoxia, propter hominis peccatum, vanitati, variis plagis, doloribus & morti subijcere?

R. 1. Si Mundus præsens, & creaturæ in illo conditæ, hominem nihil attingerent, quæstio hæc, non sine ratione moveri posset, sed cogitandum

a. Omnia propter hominem condita esse, & in illius vel obedientiæ, vel inobedientiæ libra, non ipsius solum hominis, sed totius quoque Mundi fortunam, à Deo primitus fuisse suspensam.

b. Quicquid vanitatis ex hominis peccato mundus attraxit, id propriè loquendo, non in-pœnam creaturarum cedere, quæ per se, & in se, nullam habent culpam, sed in pœnam ipsi homini, quem Deus Mundi gubernatorem constituit.

c. Nullam creaturæ injuriam fieri, quia non propter se ipsam, sed in usum tantum hominis à Deo condita est, cumque vel salutarem obedientiæ, vel noxium & pœnalem inobedientiæ, & consequenter ad gloriam vel bonitatis, vel justitiæ Dei, per eas exequendæ.

2. Ad propositam hanc quæstionem, id etiam reponi potest, quod Esaj. 45. v. 9, 10. legimus: Item hoc, quod Deus, qui salvâ justitiâ suâ, filium suum unigenitum, propter peccata nostra, plectere potuit, pari jure creaturam, propter peccata hominum, quorum bono illam creavit, vanitati subijcere potest.

II. Creaturam vanitati subjectam, Paulus dicit suspirare, & unâ parturire, v. 22.

a. Gemitus Creaturæ irrationali & inanimi tribuitur, non propriè, quis enim unquam audivit cælum, terram, bestias, herbas, plantas ingemiscere? Sed per Prosopopœiam, sicut Esa. 1. 22. Cæli audire, & terra auribus percipere jubetur, quod Jehova eloquitur: sicut etiam Psalm. 114. v. 4. montes subsilire dicuntur velut arietes, & colles ut subrumma pecudes.

b. Parturitio ut labor tribuitur eidem, qualis foeminæ est parturientis, ut gemitu & parturitione creaturæ doceatur, duplicem in se conatum esse, vanitatem & corruptionem suam excernendi.

1. Naturalem, ut, sicut homo superfluos corporis sui humores, vel per sudorem, vel per pharmaca purgantia, excernere nititur, ita suo modo creaturæ sensûs & rationis expertes idem conentur. Sol, quando eclipsin patitur, non desinit celeri cursu moveri, donec evaserit. Aër fumo & vaporibus repletus non cessat laborare, donec eos

iterum

iterum excreverit per nimbos, procellas, imbres & pluvias. Terra per hyemem suo decore spoliata, tempore verno se reveſtit.

2. *Supernaturalem ſingulari Dei judicio in natura excitatum*, velut cùm *aqua diluvii* Aborigines ſuffocârunt; cùm *ignis cœleſtis* Sodomitas combuſſit: cùm *mare rubrum* Pharaonem cum ſuo exercitu abſorpiſit; cùm *terra* Corahum cum complicitibus ſuis deglutivit, in *prælu-dium*, *totam naturam*, quæ libidini peccatorum nunc ſervit, & propterea ingemifcit, ab impura illa & iniqua ſervitute, tandem aliquando *liberandam* eſſe.

B. *Pradicatum*. Apoſtolus toti naturæ & creaturæ, quæ vanitati ſubjecta ingemifcit, attribuit

I. *Servitutem*, v. 21. II. *Expectationem revelationis filiorum Dei*, v. 19. III. *Vindicationem ex ſervitute interitus in libertatem filiorum Dei*, v. 21.

I. *Creatura vanitati ſubjecta*, v. 21. dicitur eſſe *ſub ſervitute corruptionis*. Hæc *Servitus* ſe diffundit per omnes Mundi partes. Ipſe *Homo*, qui *μέτερον* eſt *τῶν ἀνωδύτων*, ſervit vanitati & corruptioni, Pl. 39. 6, 7. Ef. 40. 6, 7. *Vitam orditur cum lachrymis*, tranſigit in curis atq; periculis, laboribus & ærumnis: tota ejus vita ſive brevis ſive diuturna, merum eſt fortunæ ludibrium & calamitatis trutina. *Propter hominem*, quî peccator eſt, *corruptioni ſervit cœlum*, quod ſuas patitur viciffitudines, & nebulis atque nubibus obducitur. *Aſtorum lumina* sæpè deſiciunt: & influentiis ſuis aërem inficiunt: *Aër peſtilentialis* magnas quandoque ſtrages inter homines edit, & *ventis etiam fulminibus* atque grandinibus, ſegetibus, vineis & pratis, arboribusque nocet. *Flumina exundantia* magna damna inferunt: *terra ſæpe* magno hominum nocumento ſterileſcit, & *ſera crudelitate* & rabie ſuâ illis ſunt infeſtæ. Et, quod *ſervitutis corruptionis* maniſteſtiſſimum eſt indicium, *omnes ſerè creatura ſceleratiſſimorum hominum abuſui ſerviunt*: Non locus eſt, non urbs, non vicus, non pagus, non domus, nulla creatura, nullum elementum, quod *hominum peccatis*, quibus ſervit, *non ſit contaminatum*. *Terra peccatorum eſt habitaculum*, & variæ nequitiaſtabulum, plena tyrannide, & innocentis ſanguinis effuſione, Num. 35. v. 33, 34. Gen. 4. 10. *Aër* blaſphemii, temerariis juramentis, laſcivis colloquiis, execrationibus, & hæreticorum falſiloquiis perſonat. *Ignis, aqua, ferrum & laqueus* fidelium perſecutioni ſerviunt: *aurum & argentum* avaritiæ, furtis, rapinæ, injuſtitiaſ. *Brutorum animantium, domeſticorum & ferarum, piſcium & avium delicatæ carnes, gulæ* adhibentur, & *fructus vitis, crapulæ*. *Ipfum Cœlum, Sol, Luna & ſtella*, has impietates cum gemitu intuenſo,

D d d d d d d d

illarum

illarum perpetracioni, non sponte, facem ferunt, sed coactè quasi peccatis & Diabolo, cui peccata ludus & jocus sunt, serviunt.

II. Creatura vanitati subjecta, & corruptioni cum gemitu serviens expectare dicitur revelationem filiorum Dei, & quidem exerto capite, (quod vox ἀνοραγεσθία significat, composita ex ἀνώ, à; κἀγεσ, caput: & θίασθί) v. 19. & v. 22. suspirare & unà parturire, ἀχέει & νύ. Diligenter hic notandum est, Apostolum v. 18. dixisse, Passiones hujus temporis, fidelium nempe, non esse condignas gloriâ, quæ in nobis revelabitur. Nunc igitur subjungit, sollicitam creatura expectationem, v. 19. quæ futuram illam filiorum Dei gloriam revelet, ut

a. Quodammodo explicet futura gloria magnitudinem, cujus olim consequendæ causâ, pii, omnes vitæ hujus molestias æquo animo tolerare debeant, cum etiam irrationalis creatura tempus illud gloria filiorum Dei manifestanda, vel quasi, cum desiderio quodam expectet.

b. Ut certitudinem securæ filiorum Dei gloria, ex hoc demonstret, quòd omnis creatura eam avidè expetat, quod desiderium ipsi infitum, non futurum sit frustraneum.

c. Ut dignitatem filiorum Dei exprimat, quibus non solum æterna gloria sit præparata, sed quòd tota natura cum illis ingemiscat, & liberationem eorum unicè desideret, quam v. 21. libertatem gloria appellat, & per illam, plenariam communicationem gloria celestis in vita æterna, quæ filiis Dei in novissimo die continget, Col. 3.4. 1. Joh. 3.2. intelligit. Quia enim dies novissimus æternæ καλιγνεσθίας tempus est, Matth. 19. 28. quo terra magno & admirando partu, corpora resuscitatorum in lucem edet, & filii resurrectionis Luc. 20. 36. in lucem prodibunt, idcirco Scriptura S. creaturam novissimi diei adventum cupidè expectantem, parturientem, & præ dolore ingemiscenti mulieri, προσοπαεία γολιθâ, comparat.

III. Vindicatio ex servitute interitus, in libertatem gloria filiorum Dei v. 21. docet: Sicut Mundus, & cum eo filii Dei in Mundo, impiorum servituti sint subjecti, & velut in carcere aliquo captivi detineantur, suam liberationem anhelantes, ita, quando Mundus, à sua servitute, in consummatione seculi, liberetur, & abusus atque sceleribus impiorum servire desinat, tum quoq; filios Dei liberatum, & gloriam eorum, quæ in statu servitutis abscondita fuit. Col. 3. 3, 4. 2. Cor. 4. II. plenè patefactum iri.

Ex hoc prolixius explicato dicto Paulino, utriq; qui de modo Consummationis seculi dissentiunt, sententiam suam stabilire conantur.

I. Qui dicunt, non perituum mundum secundum suam substantiam per

per annihilationem, sed renovatum iri, ita, ut post finitum hoc seculum, futurum sit novum cœlum & nova terra, in qua justitia, & Deus omnis justitiæ author sit habitaturus; magnum præsidium se invenire putant in assertione Pauli, quòd ipsa creatura exerto capite expectans revelationem filiorum Dei, ουγενειζουσα καὶ ουνωσιςουσα, ex servitute corruptionis vindicanda sit in libertatem gloriæ filiorum Dei. Dicunt enim suæ sententiæ etiam S. Chrysoſtomum suffragari, qui apposita hanc rem declaret similitudine: *Quemadmodum nutrix, qui infantem alit regium, illo ad regium Principatum evecto, & ipsa quoque bonorum fructum percipit: pari ratione cum homo gloria donabitur, hanc ejus gloriam cœtera creatura, qua homini servierunt, participabunt.* Et Thomam Aquin. in supplem. qu. 91. art. 3. *Quemadmodum Paterfamiliās, cum dignitas filio novo confertur, illius famulos novo atque illustri amictu induit: sic Deus, cum nova sempiternaque dignitas homini in cœlo tribuetur, creaturam, qua illi inservit, illustriore veste decorabit.*

2. Qui sententiam de totali Mundi & creaturarum illius, exceptis intellectualibus, interitu, tuentur, verba Pauli eventualiter, hoc modo interpretantur: *Quando creatura in consummatione seculi, à vanitate, cui subjecta est, & à servitute corruptionis, per sui annihilationem fuerit liberata, tunc gloriosam filiorum Dei libertatem in publico Angelorum & hominum conspectu manifestatum iri: sicque mutationem Mundi præsentis in statum meliorem, ex hoc loco Paulino, apodicticè non posse demonstrari, certum enim esse:*

a. Per creaturam, corpoream & visibilem, partim inanem, partim irrationalem intelligi.

b. Apostolum non dicere, creaturam istam liberandam esse à corruptione, quæ phrasis substantiali interitui opponi posset, sed à servitute corruptionis, quæ eidem non adverteretur, cum etiam renati, in hac vita, à servitute peccati liberentur, non autem plenariè ab ipso peccato, quod in carne ipsorum adhuc habitat. Rom. 7. 17.

c. Liberationem illam creaturæ, non fieri per incorruptibilitatis communicationem, sed per ipsam corruptionem & annihilationem, quando hominibus impiis non amplius servire cogantur: quo enim sensu vanitas & corruptio illis tribuitur, eodem sensu etiam opposita liberatio à vanitate & servitute corruptionis. Tribui autem creaturæ vanitatem & servitute corruptionis non alio sensu, quàm quòd impius, turpiter & nefariè contra voluntatem Creatoris, illis abutentibus in hac vita servire cogantur: eodem igitur sensu etiam liberationem à servitute corruptionis illis tribuendam, eo quòd servitium illud cum vita hac mortali desinat.

d. Paulum per creaturam, non tantum intelligere Cælum, elementa & terram, sed omnes omnino corporeas, visibiles, & irracionales creaturas, quæ abusu impiorum in hac vita, non minus, quam Cælum, terra & reliqua elementa sunt subjectæ. Quod si ergo liberatio illa à servitute corruptionis aliquando futura esset per renovationem & incorruptibilitatem participationem, consequens fore, ut non solum cælum, elementa & terra, sed etiam corpora mixta, & omnium specierum in brutis, arboribus & plantis individua aliquando sint renovanda, & ad incorruptibilitatem refuscitanda.

e. Totum Apostoli sensum, propositiâ Scripturæ familiari, hunc esse, Si creatura abusu impiorum in hac vita subjecta, sensus & rationis essent participes, omnimodam sui abolitionem præoptaturas potius esse, quam talem servitutem corruptionis in peccatis contra Creatorem suum.

f. Et tandem: terminum εἰς ἐλευθερίαν τῆς δόξης, non inferre, eandem liberationem creatura cum filiis Dei fore, aliàs vitæ æternæ & gloria caelestis etiam fore participes: sed denotare duntaxat liberationis tempus. Sicque non institui à Paulo identitatem, sed generalem comparationem: certam esse liberationem filiorum Dei & creaturarum, sed eandem utriusque rationem non esse, & præterea hic non agi de instauratione Mundi, sed de liberatione creaturæ à vanitate & servitute corruptionis.

Observatio. Quia in illis, in quibus nullus fidei articulus periclitatur, unusquisque suo sensu abundare potest, melius in his esse putamus σωφρονεῖν, quam ὑπερφρονεῖν, & ἐπέχειν atque dubitare: aut de occultis potius tacere, quam de incertis contentiosè litigare. Rectè dixit, qui dixit, τὰ κενυµένα ὑ δει ζητεῖν, τὰ δεδηλωµένα δὲ ἐν ἀγνοεῖν. Sufficere nobis ea, quæ diximus, possunt, ut sciamus

1. Mundi præsentis faciem prorsus esse perituram, juxta illud Apostoli 1. Cor. 7. 31. Item Cælum & terram perituram: Verba autem Dei non peritura. Luc. 21. 33. Hinc Apoc. 20. 11. & c. 21. 1. fuga & abitûs Cali, terra & maris mentio fit: & c. 21. v. 23. absentia Solis & luna à mundo novo.

2. Creaturas intellectuales, sive rationales, Angelicas & humanas, post consummationem sæculi superstites fore in omnem æternitatem, & perpetuum illis domicilium esse assignatum; Sanctis Angelis & piis hominibus in cælo: Angelis malis & impiis hominibus in inferno. Matth. 25. 34, 41, 46.

3. Fideles mundi hujus usurâ, vel ad Dei cognitionem, vel ad ulla alias necessitates, quas præsentis vitæ status requirit, in cælo non amplius opus habitueros, cum ipse Deus sit futurus omnia in omnibus, cujus

imme-

immediatâ contemplatione, & incomprehensibilium in eo bonorum communionem in æternum sint perfruituri.

4. *Creaturas sensus & rationis expertes, suo quodam modo à vanitate & servitute corruptionis, cui propter hominum abusum subjectæ sunt, liberari desiderare, etsi per plenariam sui abolitionem hoc fiat, quia miser non amplius esse potest, qui nullus est, ut Seneca dixit: Crediderunt enim gentiles, qui se post mortem nihil aliud fore putârunt, quàm quod, antequam viverent, fuerunt, se per mortem ab omnibus miseriis & arumnis, quibus in hac vita gravati fuerunt, vindicatum iri.*

5. *Præstare, vel ignorare, vel silentio præterire, quàm scrupulosè scrutari, an Deus ad electorum suorum corporis & animæ salutem, ulterioremq; felicitatem, lætitiâ & gloriam, ultra sedem beatorum in cælis, in quam nunc animæ eorum post mortem commigrant, mundum præsentem, in novam aliquam compagem, & theatrum gloriæ suæ sit transformaturus? quia si novæ pro electis fedes, sive in renovata, sive in noviter, post prioris cõflagrationem, creata terra fingantur, multis in anibus questionibus novis occasio suppeditatur, de quibus Paulus, 2. Tim. 2. 23. monet, stultas & ineruditas quæstiones esse rejiciendas, quia pugnas gignant, & è contra Titum c. 1. 9. & sub ejus persona, omnes Ecclesiæ Ministros, tenaces esse jubet fidelis illius sermonis, qui ad doctrinam facit, ut possint exhortari per doctrinam sanam.*

Ulus ad Elenchum. Planè itaque rejicimus,

I. *Inanes speculationes Philippi Nicolai, quas in Theoria sua vitæ æternæ, l. 5. c. 10. & 11. proponit, in qua de novi Mundi, post conflagrationem veteris, constitutione, statu & gloria, non aliter loquitur, quàm si in cælo fuisset, & ipsius Jovis, ut ajunt, diphtheram inspexisset. Nugæ illius, ipsis fidei suæ fociis non probantur.*

II. *Phantasiâ illorum, qui putant nihil in mundo abolendum esse, nisi merum respectum, quo generi humano, per naturalem generationem propagando, vitæ subsidia, & imprimis Ecclesiæ Dei hospitium præbet: quo sine cessante, dicunt cessaturam ejus essentiam respectivam, sicut lapidis, qui maneat lapis, etsi limes esse desinat.*

III. *Opinionem illorum, qui contra sententiam Petri, v. 10, 12.*

a. *Non aliam Cæli alterationem fore dicunt, quàm quod à motu ad perpetuam quietem sit transiturum, & magnum illi splendoris atque lucis augmentum accessurum: non ullam amplius fore noctem super terram, nisi in centro inferni: Splendorem Lunæ talem fore, qualis nunc solis est, & solis septuplo majorè, Es. 30. 26. ex quo apparet, hanc illis sententiam in animo hæerere, solem & lunam per cælorum conflagratio-*

nem, non abolitum, sed innovatum iri: cum tamen locus ille, de mundi interitu sive *κατ' αἰώνων*, sive *κατὰ μήνησιν*, non agat, sed

α. *Sensu literali*, Populo Dei latum promittat rerum Patria & Ecclesia statum, post deletum Assyrii, Hierosolymam obsessuri, exercitum.

β. *Typicè*, instaurationem Ecclesia in N. T. per lucis Evangelicæ splendorem.

γ. *Anagogicè*, gloriam & felicitatem Cæli. Apoc. 21. 23.

b. De terra alii somniant, eam ornatum specierum, hoc est, animalium terram incolentium, & plantarum è terra nascentium profus destitutam fore: alii verò, brutis & plantis locum in ea concedunt, & totam diaphanam fore dicunt: præter tartareas cavernas, arboribus item, floribusq; convestitam, beatorum oculos oblectaturam: quia enim in gremio suo, Domini sui, corpus foverit, totam Paradiso similem fore: & quia sanctorum Martyrum sanguine sit irrigata, odoriferis floribus, liliis, rosis, violis immarcescibilibus perpetuò decoratum iri, Et quæ præterea, planè carnalia, de altero seculo sapiunt.

Quòd si Cæli, cum sole, luna & astris, & terra cum plantis, juxtaque plurium sententiam, etiam cum animalibus &c. restituenda erit, scire vellem, quis creaturarum illarum usus esset futurus? quia novæ illæ creaturæ, sine aliqua functione, non manebunt: pugnet enim cum natura, & providentia Dei, aliquid constituere otiosum. Num aternitatem etiam Cæli mensurabit motus? Num tempus, quod Apoc. 10. v. 6. Angelus, per eum, qui vivit in secula seculorum, non amplius futurum jurat, revocabitur? Quis novæ terræ incolis, creaturarum futurus erit usus?

Duobus modis, in hac vita, juvatur à creaturis. Juvatur,

a. Corporis nostri natura & vita, quam in præsentia degimus, quæ ab illis foverur atque sustentatur.

b. Juvatur iisdem etiam animus, qui per visibiles creaturas ad contemplationem Dei assurgit. Rom. 1. 20. Quando verò, post hanc vitam, beati erimus in cælo, num hujusmodi creaturarum auxiliis adhuc opus erit? Non puto, quia immortalitate fruemur, neque fame, siti, frigore, calore, aut aliis hujusmodi incommodis amplius vexabimur, Deumque de facie ad faciem videbimus.

AT DICUNT: Oculis corporeis ad essentiam divinam videndam nos non pertinere: ne igitur oculus congrua delectatione destituatur, ornatum cælorum mirificum, & rerum omnium instaurationum pulchritudinem, illi tum esse offerendam. Ad hæc scitè respondet Petrus

Martyr

Martyr Comment. in c. 8. Rom. pag. m. 293. *Probabilia quidem ista esse, sed Scripturis Sacris non confirmari: neque satis apparere, cum Christi corpus, & infinita Sanctorum corpora, sole ipso splendidius lucentia, beatorum oculis conspicienda sint, quid præterea oblectationis afferre possit instauratarum creaturarum conspectio? Asaph Propheta in possessione Dei acquiescens, nec Cælum, nec terram amplius appetit. Psal. 73. 25. Omnis nobis, post hanc vitam, sufficientia in solo Deo erit, ut superfluum mihi & temerarium videatur, futuri seculi statum, his præsentibus metiri.*

IV. Ambrosii Catharini sententiam, qui terram extremo incendio renovatam, & amenius exornatam, hospitium præbituram scribit illis hominibus, qui neq; peccato proprio infernum meriti sint, nec tamen in Christum recepti per gratiam. Tales dicit pueros esse, qui absque baptismo decesserint: illos novam hanc multo pulchriorem terram, puram ab omni inquinamento & corruptione, possessuros, & Deum perpetuò laudaturos esse.

V. Argumentum illorum, qui ab interitu Mundi per diluivium, argumentantur ad interitum mundi per incendium. Scio quidem Apostolum, Petrum 2. ep. 3. v. 6, 7. dicere: *qui tum erat mundus, aquâ inundatus perit, qui vero nunc sunt Cæli & terra, servantur igni in diem damnationis.* Sed Petrus ibi loci,

a. Per primum mundum, synecdochicè, continens pro contento, pro hominibus & animalibus in mundo, intelligit.

b. Cælum & terram igni in iudicio ultimo servatam, à terræ incolis manifestè distinguit.

c. Quòd diei damnationis meminit, in quem Cælum & terra igni destinata sint, quis augurari prohibebit: Si substantia Cæli aspectabilis, & terræ, non peritura sit, in æternum conflagraturam, & locum damnationis impiorum futuram: in qua sententia fuisse ferunt judiciosissimum Theologum, D. Raphaëlem Eglinum, Tigurinum, Professore Marpurgensem. Et cum eo sentire mihi videtur Clariss. Maresius, qui in Disput. sua de annihilatione Mundi. Theff. 2. 2. pag. m. 72. sic ait: *Sed novam terram cum mari, & tota hac inferiore Regione, destinatam per ignem in illa perpetuo ardentem gehenna & supplicio Demonum ac reproborum, in qua habitet speciatim justitia pœnalis, per quam fumus tormentorum illis debitorum ascendat in seculum.*

d. In cæteris Mundus, qui continens est hominum & animalium, tempore diluvii nondum interire debuit, sed soli habitatores illius, quia

quia *finem suum*, eo tempore, nondum assecutus, neque electorum numerus completus, & innumera alia, quæ Deus in hac universitate peragenda ab omni æternitate statuit, nondum tum perfecta fuerunt.

Ufus ad Epanorthosin

1. *Atheorum*, qui adventum Christi ad ultimum iudicium, & totius mundi conflagrationem, *pro mera fabula habent*, & dicunt, nos cælum ruiturum metuere. Diluvium totum terrarum orbem miserè vastavit, & ignis cœlestis Sodomitarum Pentapolim exussit, ut alia in præsens horribilia Dei iudicia præteream, quæ omnia loquuntur, & prædicunt, *totum in consummatione seculi mundum conflagraturum*, pios æternum salvandos, impios æterno igne perituros.

2. *Philosophorum Gentilium*, qui *fidem Christianorum de Mundo igne conflagraturum*, constanti divinarum literarum autoritate suffultam, *irrident*, furiosè exagitant, & sannis, quasi delirent, profcindunt. Sed hanc ipsam sententiam *antiquioribus Ethnicis*, qui eam fortè ab Hebræis inaudiverant, non planè incognitam fuisse, Tobias Pfannerus in systemate suo Theologiæ purioris Gentilium, Cap. 18. pag. m. 419. seqq. pluribus docet. Et Platonis, qui sub Persona Dei alloquentis astra, ita scribit, verba notatu digna sunt: *Naturâ quidem estis dissolubilia, etsi meâ voluntate maneatis æterna*. Agnovit Plato, *solum Dei voluntatem Atlantem illum esse, qui Cœli, terræq; pondus humeris suis sustineat*, quos si aliquando subduceret, statim omnia ruerent & solverentur.

3. *Illorum, qui mundi interitum, vel seculi consummationem nunquam meditantur*. Cælum olim solvetur, pacifica illa creatura, quæ terram sæpius exaudit, ut illa per uberem annonam, Israëllem, Hof. 2. v. 21, 22. Num parceret Deus impœnitentibus? Psal. 5. v. 5, 6. Psal. 7. 12. Psal. 11. 6. Cœli non peccant, & tam gravem subibunt pœnam, diram conflagrationem, quia tot in mundo patrata intuiti sunt scelera, quæ tamen impedire non poterant. Terra non peccavit ipsa, sed peccatores portat, nutrit, fovet, Num. 35. 33. propter horum malitiam ipsa quoque tandem cum omnibus suis operibus exuretur. Simplicioribus non parceret Deus elementis, vanitatis & impietatis hominum invitis ministris. Et hominibus ipsis, legis divinæ præfractis prævaricatoribus parceret? Purgatio mundi per aquas diluyii non satis profecit: externa tantum abluit: totus

tus mundus ad pristina peccata rediit. Inter ipsos Christianos aqua non satis absolutam purgandi virtutem habet, quibus objici debet illud Dei apud Jerem. 2. 22. *Non, ut abluas te nitro, & plurimum adhibeas smegmatis, obducat se tamen auro insigni iniquitas tua coram me: propterea aliud purgamentum instituit Deus, ignem, quo tandem ipse conflagrabit mundus, & omnia illius opera exurentur: Homo verò impius in flammeo incendio pœnam pendet æterni exitii.* 2. Theff. 1. v. 8, 9.

Ufus Didascalicus.

Cùm Deus toti mundo, cœlo, terræ, & omnibus illius operibus finem per conflagrationem destinaverit, sive tota illius substantia aboleatur, sive qualitates tantùm immutentur, accuratè nobis attendendus est FINIS, propter quem præsens seculum consummari vult, qui est DEI GLORIA, & Piorum LIBERATIO.

I. Ad DEI GLORIAM, quicquid agimus, dirigendum est. 1. Cor. 10. 31. Psal. 29. v. 1, 2. *Ex consummato seculo autem apparebit*

α. *Gloria Veritatis & Immutabilitatis Dei.* Decrevit ab æterno, magnæ illius Cœli & Terræ machinæ conflagrationem per ignem, & decretum hoc suum in Scriptura V. & N. T. Ecclesiæ suæ revelavit. Cœlum itaque & terra præteribunt, sed verba ejus non præteribunt. Luc. 21. 33.

β. *Gloria Potentia & Majestatis illius:* quam, sicut in Mundi creatione, per hujus ex nihilo productionem exeruit, de qua Tertull. in Apol. c. 16. *Quod colimus, Deus unus est, qui rotam molem istam, cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo jussit, ratione quâ disposuit, virtute quâ potuit, de nihilo expressit, in ornamentum Majestatis suæ: ita quoq; in seculi consummatione, sive totum hunc mundum, in nihilum redigere, sive qualitates illius solùm, substantiâ permanente, immutare velit, eadem potentia & majestas in omnibus conspicua erit.*

γ. *Gloria justitiæ & severitatis iræ Dei,* quam in ultimo isthoc orbis incendio, adversus peccata hominum, tanquam ignis confumens, Deut. 4. 24. Hebr. 12. 29. manifestabit. Sicut in pœna diluvii, & incendio Sodomitico, aliisque suis adversus impios, qui terram corruerunt, Gen. 6. 12. eandemque contaminant & polluunt, Lev. 18. 27. exercitis judiciis, iram suam manifestavit, ita quoque in finali totius universi conflagratione, flagrantem suam iram, adversus extremâ impiorum malitiam, quoq; demonstrabit, quando ignem & sulphur super improbos pluet, Ps. 11. 6. & ignis coram eo eosdem devorabit. Ps. 50. 3. 2. Theff. 1. 7.

Eeee eeee

Quan-

Quando igitur impii ad sinistram Judicis constituti, cœlum & terram igne succendi videbunt, ineffabili horrore concutientur, & ignem infernalem, in quo æternas scelerum suorum pœnas luent, sibi paratum cognoscent: Pii verò hoc ejus judicium, grato animo & ore prædicabunt, juxta cœlestis vocis monitum, Apoc. 18. 20. *Exulta super eos Cœlum & sancti Propheta & Apostoli, quoniam sumpsit pœnas de illis Deus.* Et laudabunt Deum ex Apoc. 19. v. 1, 2. *Salus, honor & gloria, & virtus Domini Dei nostri est, quia vera & justa sunt judicia ejus.*

II. PIORUM LIBERATIO. Hinc Luc. 21. 28. jubet Christus, *quum hæc fieri incipiunt, erigere & attollere capita nostra, quoniam appropinquet redemptio nostra.* Per Christum patientem, morientem & resurgentem jam sumus redempti, & Deo reconciliati, Rom. 4. 25. Sed, dum in carne vivimus, peccatum nos in sua potestate aliquatenus adhuc detinet. Rom. 7. 17. Gal. 5. 17. Hebr. 12. 1. Mors etiam vinculis suis nos innexos tenet usque ad diem resurrectionis & judicii, quo in perfectam libertatem Christi merito partam, liberatione universali, cum omnibus electis, piis & credentibus asseremur, quo ad corpus ex pulvere terræ resuscitandum, quo ad animam corpori reuniendam, & quoad totum hominem in cœlum introducendum. Ita nempe, quando totus mundus à servitute corruptionis liberabitur, & impiorum abutibus atq; sceleribus servire desinet, tum quoque filii Dei plenariè liberabuntur ab omni opere malo, & cœlesti Regno Dei servabuntur, 2. Timoth. 2. 18. ex quo patet, *Diem Consummationis seculi*

a. *Terribilem fore impiis*, propter eorum damnationem. Moses viso rubo ardente, sed non consumpto, Exod. 3. 6. fuit territus: magno quoque horrore percutientur impii, qui cum conflagranti mundo conflagrabunt quidem, sed in igne illo non consumentur.

b. *Latum & exoptatum fore piis*, propter redemptionem universalem & plenariam totius Ecclesiæ, quâ omnia fidelia illius membra plenè liberabuntur à peccato inhabitante, à calamitate excruciante, à Satana tentante, à lege accusante, à morte terrente, & ibunt cum Christo in vitam æternam. Matth. 25. 46.

Quæritur,

An Mundus conflagraturus fuisset, si primus homo non peccasset?

R. *Curiosa questio, & inutilis.* Conflagrabit mundus, quia homo peccavit, & peccantis illius infortunia ad omnes redundant creaturas, quia, cum homo maledictioni fuit adjudicatus, tota terra cum eo damnata est. Gen. 3. v. 17, 18. & quando creaturæ puniuntur, propter hominem

hominem puniuntur. Quid futurum fuisset, si homo non peccasset, ipse solus Deus novit. Certè non conflagrasset, quia, ubi nullum est peccatum, ibi nulla quoque pœna. Sed neq; in æternum steterit, quia, sicut hominum generationi, ita quoque eorundem habitaculo, finem & terminum ab æterno constituit. Act. 17. 18.

Ufus ad Exhortationem.

Totam doctrinam de interitu Mundi Apostolus Petrus ad pios ita applicat, ut v. 11, 12. graviter illos exhortetur: *Quum igitur hæc omnia solvantur, quales oportet esse vos in sanctis conversationibus, & pietatis officiis, expectantes & properantes ad adventum diei Dei.* Exhortatur Apostolus,

I. Ad sanctam conversationem, nempe in societate hominum, coràm oculis Dei: ut nemini simus offenculo, sed, quæ ad pacem faciunt & mutuam ædificationem, sectemur, Rom. 14. 19. Hinc Christus ipse monet, Matth. 5. 16. *Ita splendeat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, & glorificent Deum vestrum, qui est in cœlis.* 1. Petr. 2. 12. *Conversationem vestram habete honestam inter Gentes, &c. exemplo Enoch, Gen. 5. 24. & Abrahami, Gen. 17. 1. Ne demus blasphemandi causam Gentibus, quisquis sine blasphemia aliorum, graviter erraverit, sibi tantum affert damnationem: qui verò blasphemare alios peccans fecerit, necesse est peccatum hujus super criminis humani esse mensuram, quia per convivia plurimorum, inestimabilem Deo facit injuriam, Salvianus 1. 4. de Provid. Dei. Sed benedicit Deo, qui actibus & vita & moribus suis facit ab omnibus nomen Dei benedici, Orig. in Num. c. 24. Homil. 17. Ad sanctam hanc cum hominibus conversationem pertinet,*

a. Rebus transitoriis non nimium adherere. Cùm Apostoli, Domino, Luc. 21. v. 5, 6. ornatissimum pulchris lapidibus Templum Hierosolymitanum ostendissent, respondit ipsis: *Hæcine spectatis? veniet dies, quibus non relinquetur lapis super lapidem.* Pari ratione, quando pulcherrimam & affabrè extructam cœli & terræ machinam intuemur, statim animum nostrum cogitatio de fine mundi subeat, in quo hæc omnia, quæ splendidissima & magnificentissima videntur, dissolventur & corruent. Dissolventur & corruent splendidissimæ Regum & Principum Residentiæ, munitissimæ arces & propugnacula, fertilissimæ Regiones & Provinciæ, & quicquid hominum oculos pascere, animumque delectare potest. *Fumus omnia sunt, & bullæ, quæ transibunt. Cor igitur his non apponamus.* 1. Cor. 7. v. 29-31. 1. Timoth. 6. 17. Psal. 49. 12. seq. *Utamur mundo, ut fruamur Deo.* Mundus nobis per Christum crucifigatur, ut nos Mundo, Gal. 6. 14. In

terra, quæ transit, demersos nos esse non oportet. Vermiculus Jonæ hederam rosit, Jon. cap. 4. vers. 7. sic omnibus rebus mundanis suus est vermis, qui eas corrumpit, & sua maledictio, Gen. 3. 17. Pulchrè Augustinus, *O Munde immunde, quid strepis? quid evertere conaris? temerè vis perire? quid faceres si maneres? quem non deciperes dulcis, si amarus alimenta mentiris?* Mundus instar cassæ nucis est, qui pulcher videtur exteriùs, sed si cultello veritatis aperiatur, putredinem ostendit & vermes.

b. *Ne Cæli gloriam*, quæ neque ex sensu, neque ex motu, neque ex effectu, neque ex adjuncto aliquo, sed ex sola Dei per Scripturam revelatione, innotescit, *ad mortalis hujus vita statum nobis fingamus, sed ad æternum seculum, & beatorum sedes*, quas jam à principio nobis ordinatas esse credamus, & tam augustam earum gloriam esse nobis persuadeamus, ut nulla, per res elementares, ad illas fieri possit accessio, quod Apocalypticæ illius cœlestis Hierosolymæ, ex variarum gemmarum ornatu constructæ, typus, Apocal. cap. 21. satis docet.

c. *Ne putemus, ex animalium, plantarum & frugum speciebus, aliquas, post mundi conflagrationem, mansuras*, quæ divinæ potentia sint monumenta, & glorificati hominis documenta. *Ab-surdum est talia cogitare*, quia beati hominis animi delectatio in solo Deo summo bono erit, in quo nihil nobis deerit, Psalm. 16. vers. 8, 11. Psalm. 17. vers. 15. Psalm. 36. vers. 10. Psalm. 73. vers. 25. *Alius longè, quàm hujus seculi status, futura gloria status est.* Luc. cap. 20. vers. 34. - 36. Filii hujus seculi ducunt uxores, & nuptum dant, qui verò digni habiti fuerint seculo illo & resurrectione ex mortuis, neque uxores ducent, neque nubent, neque mori amplius possunt, *ισάγγελοι* enim sunt, & filii Dei, quia filii resurrectionis.

d. *Ne divitiis congerendis per avaritiam inhiemus.* Matth. 6. 19. *terrena enim omnia corruptioni, putredini furum & raptorum insidiis sunt obnoxia. Quid prodest cuiquam, si totum mundum lucratus fuerit, anima verò suæ detrimentum patiatur?* Matth. 16. 26. Quid enim sunt thesauri hujus mundi? ærugo animæ, & vulnus plerunq; conscientia. Quid omne aurum & argentum? spuma in visceribus terræ, ex sulphure & Mercurio nata? quid sericum? stercus vermium. Quid vestes laneæ? vellus occisorum pecorum. Quid Palatia? lapides insensiles. Quid agri? torpens humus. Quid omnia terrena? fumus, vanitas & nihil: & quicquid ex his ad finem usque seculi

culi permanet, postea conflagrabit. Pulchrè Augustinus in Psal. 48. *Qui in terra thesaurizant, similes sunt illis, qui fruges suas in imis & humidis locis recondunt, non animadvertentes, hinc fore, ut citissimè putrescant.* Terrenæ divitiæ aut nos deferent in seculi consummatione, aut nos eas in morte. *Pereunt congregata omnia, sed deterius eorum congregator, quia labor avarorum non solum est periturus, sed etiam perempturus,* Bernh. de Conversion. cap. 15. Demus operam, ut in Deo divites simus, quæ divitiæ non pereunt, nec eum qui possidet, perire sinunt.

II. Exhortatur Apostolus ad sancta pietatis officia, quorum præcipua sunt sequentia.

a. Luc. 21. 36. *Christus jubet vigilare & orare. Vigilate omni tempore & orate, ut digni habeamini, qui effugiatis &c.*

aa. Jubet Christus vigilare. Non tam corporalem intelligit vigilantiam, quàm spiritualem. Marth. 25. 13. Act. 20. 13. 1. Cor. 16. 13. 1. Thess. 5. 5-8. *Docet hæc vigilantia, securitatem carnalem fugere: prudentem & circumspectum esse ad observandas & cavendas satanae peditas, Eph. 6. 11. & penitentiam ad salutem maximè necessariam non differre, non procrastinare, Psal. 95. 7. Hebr. 3. 12, 13.*

bb. Jubet Christus orare. Nunquam satis dicitur, quod nunquam satis discitur. De precibus nunquam satis disseritur, nunquam satis precamur. *Cura hujus seculi aut ipsam precessionem nostram impediunt, aut saltem ejus devotionem, sine qua omninò inutilis est: Resistamus igitur devotæ orationis impedimentis, & ea expellamus, quia devota precatio cæli scala est, in qua quotidie piis suspiriis & gemitibus, in beata morte, animâ, & in consummatione seculi, corpore & animâ in cælum ascendimus. Oremus sine intermissione, 1. Thess. 5. 17. prudenter, sapienter, penitenter, fiducialiter, constanter & perseveranter. Nemo parvi pendat orationem, ne is, quem adoramus, eam quoque parvi pendat, sed eam, postquam egressa est ex ore nostro, in libro suo scribat, & nobis det quod petimus, aut aliquid utilius.*

b. Ad pietatis officium præterea pertinent

aaa. *Sincerus Dei timor, cum enim cæli, terra & opera illius, cum horribili stridore & fragore aliquando sint transitura, merito Deum maturè, sanctè timere discimus, Eccl. 12. 14. ne in illo horribilis fragoris sonitu, & totius universi interitu, cum impiis pereamus. Meminerimus illius Dei apud Jerem. c. 5. v. 22. Me non timebitis, ait Dominus, & à facie mea non pavebitis, qui posui arenam terminum mari? &c. Si timendus est Dominus, quia repagula maris recludere,*

dere, & inundationem orbi terrarum immittere potest, quanto magis timendus est, quia per potentiam ejus Cœlum & terra aliquando conflagrabit?

ββ. Intensus rerum cœlestium amor & desiderium. Primum cœlum & prima terra abibit, & mare non ampliùs extabit, Apoc. 21. 1. *Cœlos verò novos, & terram novam, in quibus justitia habitabit, secundùm promissum ejus expectamus, 2. Petr. 3. 13.* Ad novum illud Cœlum, & novam terram, ad præmia illa beatorum invisibilia, visibilibus atque transitoriis his neglectis, toto pectore adspiremus. Pulchrè Nazianz. in Tract. de vit. itin. *Idèd constitutum est, ut res omnes hujus vitæ incerta sint ac instabiles, ut rerum firmarum stabiliumq̄, amore ac desiderio inardescamus.* Advenæ hîc fumus & peregrini, Pl. 39. 13. *πολίτευμα* nostrum in cœlo est. Phil. 3. 20. Hebr. 13. 14. Relinquamus ergo Mundum, antequam nos ille relinquat: exeamus ex hac Ægypto, si volumus Domino servire. Et quia nihil, quod inquinat, aut abominandum quippiam patrat, vel mendacium loquitur, in cœlestem Hierosolymam intrabit, Apoc. 21. 27. studeamus, ut, hæc expectantes, *immaculati & incontaminati, in conscientia ab operibus mortuis sanguine Christi purgati,* Hebr. 9. 14. reperiamur ab eo cum pace. 2. Petr. 3. 14.

γγ. Beneficentia erga pauperes, miseros & egenos studium. Nihil ex transeunte hoc mundo nobiscum auferre possumus, 1. Tim. 6. 7. præter ea, quæ in pauperum manus, tanquam in Christi gazophylacium, ut Chrysostomus loquitur, recondimus. Manna olim in privatis ædibus asservata computruit, sed in auream urnam, in arca Domini reposita, illæsa mansit. Sic quæ ad privatos usus avaritia collegit, peribunt: quæ verò ad Christi gloriam, in pauperes conferuntur, manebunt, & in die judicii commendabuntur. Piè Lactantius 1. 6. Instit. c. 12. *Quid vereris fluxum ac fragile bonum facere sempiternum, & thesauros tuos Deo custodi tradere?* & 1. 7. c. 12. *Transfer ad magnum sacrificium malè peritura, ut pro his transitoriis muneribus, habeas à Deo munus æternum.*

δδ. Beata tandem ex hac vita emigrationis desiderium, exemplo Simeonis, Luc. 2. 29. & Pauli, Phil. 1. 23. Instat Mundi finis, prompto igitur & æquo animo, vetustam & ruinofam Mundi domum relinquamus: nutat & labitur: gratulemur nobis, si exitu maturiore, ruinis imminetibus subtrahamur.

Ufus ad Consolationem Piorum in hujus mundi odiis, persecutionibus, & adversis omnibus, quæ in hoc mundo sustinent. Cœli his novi & terra nova parata est, in quibus justitia habitabit nova, sancta atque perfe-

perfecta. Heu! quantum nova hæc à veteri differt terra, Cælum in superis, ab hoc Mundo in inferis. *Mundus diversorium est, in quo hospitium Diabolus agit, qui pios cœli cives & mundi peregrinos duriter tractat: Impiis verò, qui Mundi sunt Cives, & cœli exules, suaviter ablanditur. Sed quicquid tibi iniquo promiserit mundus, dare tamen tantum non potest, quantum iusto dabit Deus: & quicquid iusto minatus fuerit mundus, non potest tamen facere, quod facit iniquo Deus. Nec inordinate igitur mundus est amandus, nec præposterè timendus, quia Christus hoc Diaboli hospitium aliquando cœlesti suo igne succendet, & omnem Diaboli furorem compefcet. Pro calamitosa hac terra electis suis incolendum dabit novum cælum & novam terram, in quibus iustitia habitabit. Petrus hunc locum ab Esaja mutuatur, qui cap. 65. v. 17. Deum dicentem introducit: *Ecce creaturus sum novos cœlos & novam terram.* Esajas per novos cœlos & novam terram à Deo creatam, proprie in saurationem Ecclesia in N.T. per Christum intelligit: *Typicè autem beatorum in cœlis gloriam, post transactam calamitosam vitam in terris.* Quando Petrus hoc dictum allegat, & *iustitiam in illis habitare* adjicit, manifestè significat, *se non agere de hac terra, cujus res omnes fluxæ sunt & caducæ, in qua homines iniusti habitant, & bruta animantia degunt, sed de habitaculo iustorum, & loco resuscitato corpori non amplius animali, sed jam spiritali & incorruptibili destinato, atque ita futuri seculi statum, nobis, dum in hoc adhuc versamur seculo, non aliter, quàm rerum presentium similitudine explicare.* Duo igitur extrema totius hujus universitatis, Esajas & Petrus nominant, ut hujus, in quo nunc versamur, mundi typo, in quo summa grassatur iniquitas, iniustitia, tyrannis & violentia, in quo etiam electi & pii Dei filii miserum in modum affliguntur, exagitantur & excruciantur, universitatem illam futuri seculi, in quo æternum vitæ sumus, adumbrent, in quam non quicquam quod inquinat, aut abominabile quidpiam patrat, vel mendacium, Apoc. 21. 27. sit ingressurum, *sed meri iusti,* Matth. 25. 46. qui in hac vita per Dei gratiam & meritum Christi iustificati, & per Spiritum S. sanctificati, & in morte à peccato plenè liberati, Rom. 6. 7. ex afflictione magna erepti, Apoc. 7. 14. abstersâ omni ab oculis eorum lachrymâ. Ibid. v. 17. gavisuri & exultaturi sint in sempiternum, ut in novo isthoc cœlo & terra, *nulla amplius exaudienda sit vox fletus & clamoris.* Esa. 65. v. 18, 19. Esa. 35. 10. sed ut fruituri sint plenitudine gaudiorum in æternum. Psal. 16. 11.*

Hæc de Consummatione Seculi.

Epilogus.

Epilogus.

Totius Universitatis, Coeli & terræ, rerumque quæ in eis sunt omnium *Creatio*, primo codicis Biblici Capite describitur. Gen.1. Et *consummatio atq; finis ejusdem*, duobus capitibus ultimis, Apoc.capp.21. 22. quòd Christus æquissimus & justissimus totius terrarum orbis Judex citò venturus sit, & merces sua cum ipso, ad reddendum unicuique secundum opera ipsius. Apoc.22.v.7,12. Hic, in ultimo suo adventu, electos suos secum abducat in Regnum Patris, impios abjiciet in ignem æternum. Quemadmodum itaque *Christus totius Scripturae centrum est, α. & ω.* initium & finis, primus & novissimus, Apoc. 21.6. & c.22.13. ita omnium piorum primum & ultimum, omniumque meditationum prora & puppis esse debet, ut quoties oculos ad cælum attollunt, vel eosdem ad terram dejiciunt, toties animum eorum, ea subeat cogitatio, *quòd Deus ista omnia ex nihilo propter hominem, & hominem propter seipsum, creaverit*, vastissimum autem & splendidissimum hoc ædificium, suo tempore iterum destruere, & qui his rebus terrenis rectè fuerunt usi, animumque ad unum Deum converterent, ad se in cœlestia recipere velit. Quæramus igitur assidue *τὰ ἄνω.* Col.3.1. & meminerimus, Mundum tantâ labe contritum esse, ut omnem speciem seductionis electorum Dei amiserit: *Quantum igitur increpandi & accusandi sunt, quos perire cum mundo pereunte delectat, tantum illi laudandi & predicandi sunt, qui cum mundo florente, etiam florere, dignati non sunt*, August. in Psal.45. Faxit Deus omnipotens, ut novi cœli & terræ incolæ atque cives cum omnibus Sanctis & beatis hominibus, hymnum Deo canamus in secula, ex Apoc. 19.1. *Hallelujah: Salus, & honor & gloria, & virtus Domino Deo nostro in Secula. Amen.*



Libri I. De agnoscendo Deo.

Cap. XXXVI.

De Consummatione Seculi.

CONCIO II.

DE VITA ÆTERNA.

Matth. c.25. v.46.

Abibunt justi in vitam æternam.